

oppugnatos, multò minùs devictos debellatosque. Sententia enim, quam foveant, utut confusè atque obscurè proposita, satis plausibilis tamen apparet, & multis variisq; & quidem speciem ponderis præ se ferentibus argumentis fulcitur. Quocirca etiam diutius ei erit immorandum, prolixiorque impendenda disputatio. Sed ultimus est labor, quò exantlatò secura pax, atque tranquilla nos manet quies. Age igitur, & sine longiori ambage hostem alacri animò aggrediamur.

1. Chamierus Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 16. cap. 6, sic, nullâ factâ Spiritus Sancti mentione, Reformatorum sententiam definit. *Catholici sentiunt, non posse securiùs, certius, veriùs Scripturæ interpretationem haberi, quàm per Scripturam ipsam.* Expressiùs Polanus Syntagmat. Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 5. *Norma interpretandi Scripturam, & judicandi de interpretatione Scripturæ sacræ, verane sit, an falsa, est ipsamet Scriptura sacra, quæ vox Dei est.* At paulò aliter Wendelinus Theolog. Christian. Prolegom. cap. 3. Thef. 6. explicat. 1. *Jus summum, inquit, interpretandi Scripturas est penes Spiritum Sanctum in Scripturâ loquentem, vel penes Scripturam, quæ vox est Spiritus sancti.* Iisdem ferè verbis Walæus in Enchiridiò Religionis Christianæ, loc. de Scriptur. Interpret. *Sacra Scriptura est sui ipsius interpret; vel potiùs Spiritus sanctus loquens in sacrâ Scripturâ.* Et Loc. Commun. Theologic. de S. Scripturæ interpretatione. *Dicimus ipsum Deum in Scripturis loquentem esse supremum Interpretem Scripturarum: & mox, Nam Deum ita attemperasse Scripturam sacram dicimus, ut ea non tantum sit norma, sed etiam sui ipsius interpret.* In quibus etiam Deo, & Spiritui sancto suæ in Scripturâ interpretandâ partes videntur assignari, quemadmodum id asserit Whitakerus Disputat. de Scripturâ S. contra hujus temporis Papistas, Controvers. 1. quæst. 5. cap. 8. *Sententia nostra est, non oportere Ecclesiæ tribui summum judicium, atque auctoritatem interpretandi Scripturas; sed Scripturæ ipsi, & Spiritui S. tum aperte in Scripturis loquenti, tum occultè easdem in cordibus nostris confirmanti.* Clariùs adhuc & luculentius distinctiusque explicat Tilenus Syntagm. Disputat. Theolog. part. 1. disput. 8. thef. 1. & 2. his verbis. *Summum interpretandi jus, atque auctoritatem vera Christi Ecclesia soli Spiritui sancto in Scripturis loquenti vindicat: statuitque verum Scripturæ sensum, quoad internam quidem πνευματικὴν, ab eò solò proficisci: quoad externam verò persuasionem ex ipsâ Scripturâ optimè sumi.* Et Scarpus Curs. Theologic. loc. de S. Scripturâ, multò adhuc prolixius, hòc modò. *Orthodoxorum sententia hæc est: Summum jus, auctoritatem, & judicium interpretandi Scripturas esse penes Spiritum sanctum in Scripturâ loquentem, nec Scripturæ interpretationem ad certam aliquam sedem, & successionem hominum, uti volunt Papistæ, alligatam esse, sed Spiritui sancto occultè Scripturas in cordibus fidelium*

*fidelium*